

ait, Clementem affirmare, Barnabam  
prædicasse hominem filium Dei, quem  
in Iudæa uiderat, & audierat Euangeli-  
zantem regnum cœlorum? Aut quid il-  
lud nostræ causæ officit, Christum dici  
uerum Prophetam? Quis hoc unquam  
negauit, uerum esse, quod Iudæi in  
Euangelio confitentur: Hic uere est  
Propheta ille, qui uenturus est in mun-  
dum? Nam Apostoli in actis sententiam  
ex Mose, Prophetam fuscitabit Deus  
uobis de fratribus uestris, interpretan-  
tur de Christo. Et nos confitemur, homi-  
nem Iesum Christum esse uerum filium  
Dei, uerum Prophetam.

XI. Sed de hoc non agitur, uerum il-  
lud refutatur, hominem Iesum Christum  
esse tantum Prophetam, aut purum ho-  
minem, uel, dici filium Dei, sicut alios  
Prophetas, quemadmodum Seruetus ex  
Clemente contendit. Neq; enim nos ne-  
gamus, Iesum illum, qui à Iudæis cruci-  
fixus est, esse filium Dei, sed illud nega-  
mus, filium Dei non fuisse, priusq; assu-  
meret humanam naturam ex Maria uir-  
gine, & diceretur Iesus Christus, quia  
aduersatur scripturæ Propheticæ & Apo-  
stolicæ, symbolis, synodis, & omnibus

A S inter